

JOANNIS, ABBATIS BICLARENSIS,

CHRONICON,

CONTINUANS UBI VICTOR DESINIT.

Post Eusebium, Cæsariensis Ecclesiæ episcopum, Hieronymum toto orbe notum presbyterum, nec non et Prosperum, virum religiosum, atque Victorem Tununensis Ecclesiæ Africanæ episcopum, qui historiam omnium pene gentium summa brevitate et diligentia contexere visi sunt, et usque ad nostram ætatem congeriem perduxerunt annorum, et quæ acta sunt in mundo ad agnitionem nostram transmisserunt: nos ergo in adiutorio Domini nostri Jesu Christi, quæ temporibus nostris acta sunt, ex parte quod oculata fide pervidimus, et ex parte quæ ex relata fidelium didicimus, studuimus ad posteros notescenda brevi stylo transmittere.

Quinta decima ergo indictione, ut dictum est, Justiniano mortuo, Justinus junior nepos ejus Romanorum efficitur imperator.

Romanorum LIII, regnat JUSTINUS junior annis XI. Qui Justinus anno primo regni sui, ea quæ contra synodum Chalcedonensem fuerant commentata, destruxit symbolumque sanctorum CL Patrum Constantinopoli congregatorum, et in synodo Chalcedonensi laudabiliter receptum, in omni catholica Ecclesia a populo concinendum intromisit, prius quam Dominica dicatur oratio.

Armenorum gens et Iberorum, qui a prædicatione apostolorum Christi susceperunt fidem, dum a Cosdra Persarum imperatore ad culturam idolorum compellerentur, renuentes tam impiam jussionem, Romanis se eum provinciis suis tradiderunt; quæ res inter Romanos et Persas pacis fœdera rupit.

Anno II memorati principis, in regia urbe Ætherius et Additus patricii, dum Justino mortem vellent veneno potius quam ferro per medicos inferre, detecti, capitali sententia puniri jussi, prior a feris devoratus, secundus incendiis concrematus interiit. Justinus filius Germani patricii, consobrinus Justinii imperatoris, factione Sophiæ Augustæ in Alexandria occiditur. His temporibus Athanildus rex Gothorum in Hispania vitæ finem suscepit, et Luiba pro eo in regnum provehitur.

Anno III Justini imperatoris Garamantes per legatos, paci R. P. et fidei Christianæ sociari desiderantes poscunt: qui statim utrumque impetrant. Theodorus præfectus Africæ a Mauris interfectus est. Mauritarum gens his temporibus fidem recipit. Hujus imperii anno III Leovigildus germanus Luibani regis, superstitis fratre, in regnum citerioris Hispaniæ constituitur; Gosuintham relictam Athanildi in conjugium accipit; et provinciam Gothorum quæ jam pro rebellionem diversorum fuerat diminuta, mirabiliter ad pristinos revocat terminos.

Anno IV Justini imperatoris qui est Leovigildi regis secundus annus, Theocistus magister militum provinciæ Africanæ a Mauris bello superatus interiit.

Leovigildus rex loca Bastaniæ et Malacitanæ urbis, repulsis militibus, vastat, et victor solio redit. Justinus imperator per Tiberium excubitorum comitem in Thracia bellum genti Barbarorum ingerit, et victor Tiberius Constantinopolim redit. In provincia Galliciæ, Miro post Theodorum Sæavorum rex efficitur.

Anno V Justini imperatoris qui est III Leovigildi regis annus, Justinus imperator Armeniam et Iberiam, repulsis Persis, Romanas provincias facit: et bellum Persarum imperator per duces parcit [peragit]. Amabilis magister militiæ Africanæ a Mauris occiditur. Leovigildus rex Asinodam fortissimam civitatem, proditione cujusdam Frainidamei nocte occupat: et militibus interfectis, memoratam urbem ad Gothorum revocat jura. Donatus abbas monasterii Pernitani mirabilium operator clarus habetur.

Anno VI Justini imperatoris qui est Leovigildi regis IV annus, Gepidarum regnum finem accepit, qui a Langobardis prælio superati, Cunicmundus rex campo occubuit; et thesauri ejus per Trasaricum Arrianiæ sectæ episcopum, et Reptilanem Cunicmundi nepotem Justino imperatore Constantinopolim ad integrum producti sunt. Leovigildus rex Cordubam civitatem diu Gothis rebellem nocte occupat, et cæsis hostibus propriam facit; multasque urbes et castella, interfecta rusticorum multitudinis, in Gothorum dominium revocat. Miro Sæavorum rex bellum contra Aragonem movet. Dominus Helenensis Ecclesiæ episcopus clarus habetur.

Anno VII Justini imperatoris qui est Leovigildi V annus, Alboinus Langobardorum rex factione conjugis suæ a suis nocte interficitur. Thesauri vero ejus cum ipsa regina in reipublicæ Romanæ ditionem obveniunt, et Langobardi sine rege et thesauro remansere. His diebus Luiba rex vitæ finem accepit, et Hispania omnis in regno et potestate Leovigildi regis Gallique Narbonensis concurrat. Justinus imperator gravi infirmitate conculitur: quæ infirmitas ab aliis quidem cerebri motio, ab aliis dæmonum vexatio putabatur. In regia urbe mortalitas inguinalis plagæ exardescit, in qua multa milia hominum vidimus defecisse. Leovigildus rex Sabariam ingressus Sabos vastat, et provinciam ipsam in suam redigit ditionem: duosque filios suos ex amissa conjugis, Ermenegildum et Recaredum, consortes regni facit. Legati gentis Macuritarum Constantinopolim ve-

niunt: dentes elephantinos et camelopardalim Justiniano principi munera afferentes sibi cum Romanis amicitias conciliant. Post Joannem Romanæ Ecclesiæ Benedictus ordinatur episcopus. Præfuit annis iv. Mausona Emeritensis Ecclesiæ episcopus in nostro dogmata clarus habetur.

Anno viii Justini, qui et Leovigildi vi annus, Persæ cum Romanis pacis fœdera rumpunt; et congressione facta Daras civitatem fortissimam bello superant, et cæsa multitudine Romanorum memoratam urbem ingressi depopulati sunt.

His diebus Leovigildus rex Cantabriam ingressus provinciæ pervasores interficit; Amaya occupat; opes eorum pervadit, et provinciam in suam revocat ditionem.

Justinus imperator Tiberium quem superius excubitorum comitem diximus, Cæsarem facit, et non multo post imperiali fastigio provehit et reipublicæ principem designat. Hujus Tiberii Cæsaris die prima in regia urbe inguinalis plaga sedata est.

Anno ix Justini imperatoris, qui est Leovigildi regis vii annus, Cosdroes Persarum imperator cum nimia multitudine exercitus ad vastandos Romanorum terminos promovet: cui Justinianus dux Romanæ militiæ et magister militum orientis a Tiberio destinatus bellum parat; et in campis qui inter Daras et Nezinios [Nezivios] ponuntur, forti pugna congressus, habens secum gentes fortissimas quæ barbaro sermone Hermam nuncupantur, memoratum imperatorem bello superat. Quo cum suo exercitu in fugam verso, castra ejus pervadit; et provinciæ Persidæ fines victor Justinianus vastat, exuviasque eorum pro triumpho Constantinopolim dirigit, xxiv elephantos inter cætera, qui magnum spectaculum Romanis in urbe regia exhibuerunt. Prædam vero de manubiis Romanorum.... Persarum multitudo ob nimiam vilitatem nummo publico venundata sunt. Leovigildus rex Aregenses montibus [Arægonenses montes] ingreditur. Aspidium loci seniores cum uxore et filiis captivos ducit, opesque ejus ac loca in suam redigit potestatem. Aramundarus Saraenorum rex Constantinopolim venit, et cum stemate suo et donis Barbariæ Tiberio principi occurrit. Qui a Tiberio benigne exceptus et donis opimis exornatus ad patriam abire permissus est.

Anno x Justini imperatoris qui est Leovigildi regis viii annus, Bandarius gener Justini principis a Langobardis prælio vincitur, et non multo post vitæ finem accipit. Romanus filius Anagasti patricii magister militiæ, gentis Suevorum regem vivum cepit: quem cum suo thesauro, uxore et filiis Constantinopolim adducit, et provinciam eorum in Romanorum dominium redigit. Leovigildus rex in Gallæcia Suevorum fines conturbat, et a rege Mirone per legatos rogatus pacem eis pro parvo tempore tribuit. Sclavini in Thracia multas urbes Romanorum pervadunt, quas depopulatas vacuas reliquere. Abares littora inanis captiose obsident, et navibus littora Thraciæ navigantibus satis infesti sunt. Post Benedictum

A Romanæ Ecclesiæ Pelagius junior ordinatur episcopus. Præstet annis xi.

Anno xi regni sui Justinus diem clausit extremum, et Tiberius singulare obtinuit imperium.

Romanorum LIIV, TIBERIUS regnat annis vi.

Anno ergo primo imperii Tiberii, qui est Leovigildi annus ix, Abares Thracias vastant, et regiam urbem a muro longe obsident. Leovigildus rex Orospedam ingreditur, et civitates atque castella ejusdem provinciæ occupat, et suam provinciam facit; et non multo post inibi Rustici rebellantes a Gothis opprimuntur; et post hæc integra a Gothis possidetur Orospeda.

Anno ii Tiberii imperatoris qui est Leovigildi annus x, Gennadius magister militum in Africa Mauros vastat; Gasmulem fortissimum regem qui jam tres duces superius nominatos Romani exercitus interfecerat, bello superat, et ipsum regem gladio interficit. Tiberius Mauricum excubitorum comitem magistrum militiæ orientis instituit, et ad repugnandum Persis direxit. Romani contra Langobardos in Italia lacrymabile bellum gerunt.

Leovigildus rex, extinctis undique tyrannis et pervasoribus Hispaniæ superatis, sortitus requiem propria cum plebe resedit, et civitatem in Celtiberia ex nomine filii condidit, quæ Recopolis nuncupatur, quam miro opere et mœnibus et suburbanis adornans privilegia populo novæ urbis instituit. Joannes presbyter Ecclesiæ Emeritensis clarus habetur.

Anno iii Tiberii imperatoris qui est Leovigildi xi annus, Abares a finibus Thraciæ pelluntur, et partes Græciæ atque Pannoniæ occupant. Leovigildus rex Hermenegildo filio suo filiam Sisberti regis Francorum in matrimonium tradit, et provinciæ partem ad regnandum tribuit. Leovigildo ergo quietâ pace regnante adversariorum domestica rixa conturbat. Nam eodem anno filius ejus Hermenegildus factione Gosuinthæ reginæ tyrannidem assumens, in Hispali civitate rebellionem facta recludit, et alias civitates atque castella secum contra patrem rebellare facit. Quæ causa in provincia Hispaniæ tam Gothis, quam Romanis majoris exitii, quam adversariorum infestatio fuit. Novellus Complutensis episcopus clarus habetur.

Anno iv Tiberii, qui est Leovigildi xii annus, Mauricius magister militum orientis contra Persas bellum movet, et repulsa Persarum multitudine in oriente hiemavit. Leovigildus rex in urbem Toletanam synodum episcoporum sectæ Arianiæ congregat, et antiquam hæresim novello errore emendat, dicens de Romana religione ad nostram catholicam fidem venientes non debere baptizari, sed tantummodo per manus impositionem et communionis præceptionem pollui [perceptionem ablu], et gloriam Patri per Filium in Spiritu sancto dare [Dare]. Per hanc ergo seductionem plurimi nostrorum cupiditate potius impulsus in Arianum dogma declinant.

Anno v Tiberii, qui est Leovigildi xiii annus, Langobardi in Italia regem sibi ex suo genere eli-

gunt vocabulo Antariçh, cujus tempore et milites A Romani omnino sunt cæsi, et terminos Italiæ Langobardi sibi occupant. Scлавinorum gens Ihyricum et Thracias vastant.

Leovigildus rex partem Vasconiæ occupat, et civitatem quæ Victoriacum nuncupatur, condidit. Tiberius Imperator magistro militum orientis filiam suam in conjugium tradit.

Anno VI Tiberii qui est Leovigildi XIV annus, Tiberius vitæ terminum dedit, et Mauricius pro et Romanorum imperator efficitur.

Romanorum XV [Leg. LV]. MAURICIUS regnat annos XX. Leovigildus rex exercitum ad expugnandum tyrannum filium colligit.

Anno ergo primo Mauricii imperatoris, qui est Leovigildi regis XV annus, Leovigildus rex civitatem B Hispalensem congregato exercitu obsidet, et rebellem filium gravi obsidione concludit: in cujus solatio Miro Suevorum rex ad expugnandam Hispalim devenit, ibique diem clausit extremum; cui Eburicius filius in provincia Gallæciæ in regnum succedit. Interea Leovigildus rex supra dictam civitatem, nunc fame, nunc ferro, nunc Bætis conclusione omnino conturbat.

Anno II Mauricii imperatoris, qui est Leovigildi XVI annus, Leovigildus muros Italiæ antiquæ civitatis restaurat, quæ res maximum impedimentum Hispalensi populo exhibuit. His diebus Andeca in Gallæcia Suevorum regnum cum tyrannide assumit, et Sifeguntiam refectam Mironis regis in conjugium accepit: Eboricum regio privat, et monasterii monachum facit. Leovigildus rex filio Hermenegildo ad rempublicam commigrante, Hispalim pugnando ingreditur: civitates et castella quas filius occupaverat, cepit, et non multo post memoratum filium in Cordubensi urbe comprehendit, et regno privatum in exilium Valentiam mittit.

Mauricius imperator contra Langobardos Francos per conductelam movet, quæ res utrique genti non parva contulit damna.

Eutropius abbas monasterii Servitani discipulus sancti Donati clarus habetur.

Anno III Mauricii, qui est Leovigildi XVII annus, Mauricius per duces bellum infert. Leovigildus rex Gallæcias valet. Andecanum regem comprehensum regno privat. Suevorum gentem, thesaurum et patriam suam in potestatem redigit, et Gothorum provinciam facit. Hermenegildus in urbe Tarraconensi a Sisberto interficitur.

Franci Galliam Narbonensem occupare cupientes cum exercitu ingressi: in quorum congressionem Leovigildus Recaredum filium obviam mittens, et Francorum est ab eo exercitus repulsus, et provincia Gallæciæ [Galliæ] ab eorum infestatione est liberata. Castra vero duo cum nimia hominum multitudine, unum pace, alterum bello occupat. Castrum vero quod Hodierno vocatur, tutissimum valde in ripa Rhodani fluminis ponitur; quod Recaredus rex fortissima pugna aggressus obtinuit, et victor ad pa-

trem patriamque redit. Andeca vero regno privatus tondetur, et honore presbyterii post regnum honoratur. Non dubium quod in Eiborico regis filio rege suo fecerat patitur, et exilio Pacensi urbe relegatur. Malaricus in Gallæcia tyrannidem assumens, quasi regnare vult: qui statim a ducibus Leovigildi oppressus comprehenditur, et Leovigildo vincis præsentatur. Leander Hispalensis Ecclesiæ episcopus clarus habetur.

Anno IV Mauricii imperatoris, qui est Leovigildi regis XVIII annus, Anthane Langobardorum rex cum Romanis congressione facta superat, et cæsa multitudine militum Romanorum Italiæ fines occupat.

Hoc anno Leovigildus rex diem clausit extremum, et filius ejus Recaredus cum tranquillitate regni ejus sumit sceptra

Anno V Mauricii imperatoris Romanorum, qui est Recaredi regis primus feliciter annus, Mauricius Theodosium filium suum ex filia Tiberii imperatoris natum Cæsarem facit. Pelagio juniore mortuo, Romanæ Ecclesiæ Gregorius in episcopatum succedit. Præest annis XV. Romani per Francorum adiutorium Langobardos vastant, et provinciæ Italiæ partem in suam redigunt potestatem. Sisbertus interfector Hermenegildi morte turpissima perimitur. Recaredus primo regni suo anno, mense X, catholicus, Deo juvante, efficitur, et sacerdotes sextæ Arianiæ sapienter colloquio aggressus ratione potius quam imperio converti ad catholicam fidem facit, gentemque omnium Gothorum et Suevorum ad unitatem et pacem revocat Christianæ Ecclesiæ. Sectæ Arianiæ, gratia divina, in dogmate veniunt Christiano.

Desiderius Francorum rex dux Gothis satis infestus a ducibus Recaredi regis superatur; et, cæsa Francorum multitudine, in campo moritur.

Recaredus rex aliena a prædecessoribus direpta et fisco sociata placabiliter restituit. Ecclesiarum et monasteriorum conditor et ditator efficitur.

Anno VI Mauricii, qui est Recaredi II annus, quidam ex Arianiis Sunna episcopus, et Seggo cum quibusdam tyrannidem assumere cupientes, deteguntur. Convicti, Sunna exsilio traditur, et Seggo manibus amputatis Gallæciam exsulans mittitur. Mauricius Theodosium filium quem supra Cæsarem diximus, Romanorum imperatorem facit.

Anno VII Mauricii, qui est Recaredi regis III annus, Uldita episcopus cum Goswintha regina insidiantes Recaredo manifestantur; et fidei catholicæ communionem quam sub specie Christiana quasi sumentes proficiunt, publicantur. Quod malum in cognitionem hominum deductum, Uldita exsilio condemnatur; Goswintha vero catholicis semper infesta vitæ tunc terminum dedit. Francorum exercitus a Gontarano rege transmissus, Bosone duce, in Galliam Narbonensem obviam, et juxta Carcassonensem urbem castra motati sunt. Cui Claudius Lantianus dux a Recaredo rege directus obviam inibi occurrit: cum quo congressione facta, Franci in fugam vertuntur, et direpta castra Francorum, et exercitus a

Gothis cœditur. In hoc ergo certamine gratia divina, et fides catholica quam Recaredus rex in Gothis fideliter adeptus est, esse noscitur operata: quoniam non est difficile Deo nostro, si in paucis [Si paucis] una in multis [Una multis] datur victoria. Nam Cladius dux eum cum viris in millia ferme Francorum noscitur infugasse, et maximam eorum partem gladio trucidasse. Non immerito Deus laudatur temporibus nostris in hoc prælio esse operatus, qui similiter ante multa temporum spatia per manum dedit Gedeonis ¹⁰⁰⁰ viris multa millia Madianitarum Dei populi infestantium noscitur extinxisse.

Anno vii Mauricii imperatoris, qui est Recaredi iv annus, sancta synodus episcoporum totius Hispaniæ, Galliæ et Galliciæ in urbe Toletana, præcepto principis Recaredi congregatur episcoporum numero ¹²⁰ in qua synodo intererat memoratus Christianissimus Recaredus, ordinem conversionis suæ et omnium sacerdotum, vel gentis Gothiæ confessionem tunc scriptam manu sua episcopis porrigens, et omnia quæ ad professionem fidei orthodoxæ pertinent, innoscens; cuius tunc ordinem decrevit sancta episcoporum synodus canonicis applicare monumentis. Summa tamen synodalis negotii penes sanctum Leandrum Hispalensis Ecclesiæ episcopum, et beatissimum Eutropium monasterii Servitani abbatem fuit. Memoratus vero Recaredus rex, ut diximus, sancto intererat concilio renovans temporibus nostris antiquum principem Constantinum magnum sanctam synodum Nicenam sua illustrasse præsentia: nec non et Marcellinum Christianissimum imperatorem, cujus instantia Chalcedonensis synodi decreta formata sunt. Siquidem et in Nicæna urbe hæresis Ariana et initium sumpsit et damnationem meruit, radicibus non amputatis. Chalcedone vero Nestorius et Eutychius una cum Dioscoro ipsorum patrono, et hæresibus propriis condemnati sunt. In hac vero sancta Toletana synodo Arii perfidia post longas Catholicorum nece atque innocentium strage

ita radicitus amputata est, insistente principe memorato Recaredo rege, ut ulterius non pullulet, catholica ubique pace data Ecclesiis. Hæc ergo nefanda hæresis, secundum quod scriptum est, *De domo Domini exiet tentatio ab Alexandria*, etc., detegente sancto Alexandro ejusdem urbis episcopo, per Arium presbyterum inolevit: qui in Nicæna synodo cccxix episcoporum iudicio, vigesimo imperii Constantini senioris anno synodaliter damnationem cum proprio errore suscepit. Quæ post hæc non solum Orientis et Occidentis partem maculavit, sed et Meridianam et Septentrionis plagam, et ipsas insulas sua perfidia irretivit. A vigesimo ergo Constantini principis anno, quo tempore hæresis Ariana initium sumpsit, usque in octavum annum Mauricii principis Romanorum, qui est Recaredi quartus regni annus, anni sunt cclxvi, quibus Ecclesia catholica hujus hæresis infestatione laboravit. Sed favente Deo vicit, quoniam fundata est super petram. In his ergo temporibus quibus omnipotens Deus, prostrato veteris hæresis veneno, pacem suam restituit Ecclesiæ, imperator Persarum Christi suscepit fidem, et pacem cum Mauricio imperatore firmavit. Recaredo ergo orthodoxo quieta pace regnante, domesticæ insidiæ prætentantur. Nam quidam ex cubiculo ejus etiam provinciæ dux, nomine Argimundus, adversus Recaredum regem tyrannidem assumere cupiens, ita ut, si posset, eum et regno privaret et vita. Sed nefandi ejus consilii detecta machinatione, comprehensus, et in vinculis ferreis redactus, habita discussione, socii ejus impiam machinationem confessi condignè sunt ultione interfecti. Ipse autem Argimundus qui regnum assumere cupiebat, primum verberibus interrogatus, deinde turpiter decalvatus, post hæc dextra amputata, exemplum omnibus in Toletana urbe, Asino sedens pompando dedit, et docuit famulos domini non esse superbos.

^a Rescribe ccc. Vid. *Jud.* vii, 7. Locum istum præterire Scaliger et Canisius.

^b Ita Scaliger. At Canisius in edit. *Basnag.*, *Domini*. Quæ quidem haud paucis et lacunis laborat.

EODEM TEMPORE.

SANCTUS LEANDER,

HISPALENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA.

(Ex Cæto.)

Leander, gente Hispanus, domo Carthaginensis, Severiani (cujus sororem Sanctiam in uxorem duxit Theodoricus Ostrogothorum rex) ac Turturæ filius,

Isidori Hispalensis frater natu major, post diuturnam vitæ monasticæ professionem Hispalensis Ecclesiæ archiepiscopus factus est. Claruit anno 583, quo ab